

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4481

**Auteur(s) :** Guillaume de Huecon, écuyer, fils du chevalier Guillaume de Huecon [autre]

**Bénéficiaire(s) :** Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1248

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume de Huecon, écuyer, fils de Guillaume de Huecon, chevalier, confirme toutes les donations et concessions faites à l'abbaye Notre-Dame de Montmorel par son père, ses prédécesseurs et ses hommes.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CXXXV, p. 112-113.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod ego Guillelmus de Huecon, armiger, filius Guillelmi de Huecon, militis, concedo et hac presenti carta confirmo omnes elemosinas, donationes seu benedictiones (sic, sans doute vendiciones) a Guillelmo de Huecon, milite, patre meo, seu a quibuscunque predecessoribus et hominibus meis abbacie Beate Marie Montis Morelli et canonicis ibidem Deo servientibus factas ex quibus aliquas nominatim dignum duxi exprimendas, videlicet ecclesiam Sancti Paterni et capellam Sancti Germani cum omnibus pertinentiis et elemosinis suis et decimis totius parrochie de Duxeio, et heremitagium quod est in Ardena, cum stagno et portione nemoris, sicut fossata dictorum canonicorum, inter nemus meum et nemus suum facta, dividunt et demonstrant, et duodecim quarteria frumenti annui redditus ad festum Beati Michaelis in molendino meo de Cerezal percipienda et reddenda per manum illius quicumque dictum molendinum tenuerit et decimam Ruche in foro de Duxeio, quam decimam dicti canonici debent recipere per firmarios meos et sex quarteria frumenti annui redditus in Terra Vasta sibi percipienda pro custodia de Duxeio et tres ruchas frumenti annui redditus in feodo de Cerezal, et Campum Failli et clausum in quo mansit Robertus de Senof et omnes landas quas predicti canonici emerunt a Roberto de Ardena et Stephano de Ardena et Johanne fratre ejus, prout fossata eorumdem claudunt et dividunt, et masuram de Landa cum omnibus pertinentiis suis et masuram de Geraudia cum omnibus pertinentiis suis, quam masuram predictus Stephanus de Ardena vendidit canonicis supradictis, et sabulariam que est apud Tuscham Noel ad edificia dicte abbacie facienda. Hec omnia supradicta et alia, si que habent in terra mea ubicumque ex donatione seu benedictione fidelium, ego predictus Guillelmus de Huecon volo et concedo quod predicti canonici in perpetuum possideant libere, quiete et pacifice in puram et perpetuam elemosinam, omni reclamacione et impedimento mei vel heredum meorum remotis, ita quod de cetero mihi aut heredibus meis seu alicui, ratione nostri, in predictis elemosinis non liceat exercere aliquam justitiam secularem, sed sepedicti canonici predictas elemosinas ab omnibus redevanciis et obedienciis tenebunt liberas et immunes. Preterea ego volo et concedo quod predicti canonici et eorumdem homines in tota terra mea plenariam communitatem habeant in omnibus eandem quam homines mei in predicta terra habere demonstrantur. Ea autem que predicta sunt ego predictus Guillelmus et heredes mei eisdem canonicis

integre tenemur garantizare. Ad majorem hujus rei confirmationem ego sepedictus Guillelmus presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno Domini millesimo ducentesimo quadragésimo octavo.